Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2553
Quelle:
Copyright:

tat in edit. *Argentin.* 1516. f. a *pag.* 1. hoc tamen discrimine, quod priori tractatui ad finem Sermo integer in editis desit, qui nobis incipit: *Sicut quilibet homo compos rationis inimico suo tenetur* &c. et 18. *columnas* integras occupat; dein, quod in editis Secundo Tractatui post C. 1. insertus sit *Sermo in festo Jacobi Apostoli*, quem *Codex* noster nescit. Initium prioris Tractatus est: *Scribitur Mat. 22°. quod cum quidam legis doctor* &c. Alterius: *Preter precepta legis nature* &c. Ad calcem: *Et sic est finis decem preceptorum exijmij doctoris olim Magistri Nicolaij de Dinckelspühell.*

IV. *fol.* 196. *Epistola transmissa per Cardinalem grecum ad curiam Romanam qui interfuit deuastacioni Constantinopolitane ciuitatis.* Initium: *Ysidorus miseracione diuina Sacrosancte Romane Ecclesie Episcopus Sabinen. Cardinalis Rutenus vlgariter nuncupatus Vniuersis et singulis Christi fidelibus has nostras litteras inspecturis Salutem in domino nostro ihesu christo. Audite hec omnes gentes, auribus percipite omnes* &c. Descripto dein lamentabili urbis excidio, e quo se, *ut Jonam ab utero ceti*, ereptum ait, subdit: *Datum Crete in domibus nostre residencie Anno a natiuitate Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio Die octaua Iulij Pontificatus Sanctissimi Domini Nicolai diuina prouidentia pape quinti Anno septimo.* Erat *Isidorus* hic *Thessalonicensis* Monachus S. *Basilii*, Abbas S. *Demetrii* Cplitani, Metropolita *Kioviensis*, Cardinalis Presb. SS. *Marcellini et Petri*, et ad reconciliandos Pontifici Graecos *Byzantium* Legatus, obiitque redux Episcopus Card. *Sabin.* 1463. ut est apud *Ciaconium*, *Ughellum* &c. Partem praesentis Epistolae jam *Antoninus Florent.* Chronici sui P. III. *Tit.* 22. c. 13. §. 14. inseruit, quam *Odor. Raynaldus* excerpsit in *Annalib. eccl.* T. IX. p. 613. Mutilam etiam exhibet *Nic. Reusnerus* L. IV. *Epist. Turcic.* p. 104. Integra e praesenti *Codice* edi posset.

V. *fol.* 197. p. 2. *Sequitur epistola transmissa a magno Thewcro* (Turca) *sanctissimo in christo patri et domino domino Nicolao pape quinto.* Exemplar ipsum germanice versum est et incipit: *Memnem pey moybassanus beben yessen mitt allen seinen bruedern tereben Inslaych, Chayser der welt beschirmer der turken tartaren mörn vnd des ganczen orientes tal* (hail?) *dem grossen Romischen briester* &c. Incipit inepti hominis figmentum, quo Magnus Turca Papae benevolentiam captat, seque a Trojanis *Antenore*, *Aenea* et *Priamo* descendere ait, subscribitur: *Anno Machmeti M° CC° 35to anhebung der zalung der chaldeyschen.* Latine et quidem ad *Pium* II. directum editum est *Romae* cum hujus praevia epistola *s. a.* bis 4. legiturque etiam in *Theod. Bibliandri Alcorano* P. III. p. 99. *Basil.* 1550. f. et *Nic. Reusneri Epist. Turc.* L. V. p. 238. Epistolam ejusmodi confictam fuisse a *Job.*